



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 13. Quid sit genus. Quotuplex, & quale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

quam contrahat, ad prædicabile differentie spectabit. Si cum alia sibi æquali ad prædicabile anony-
mum. Si cum aliqua mixtione earum ad mixtum,
iuxta doctrinam *supra* traditam q. 7. Si denique
dicta ratio abstracta non includatur in subiecto, ac-
cidentaliter dicitur de illorūque ita vel spectabit ad
prædicabile propriū, vt si dicas: *Hoc ens est indiuiduū*,
id est *vnū*, & *distinctum ab aliis*, vel ad prædicabile
passionis communis, vt si dicas *Hic homo est in-*
diuiduū, non includendo in conceptu hominis
rationes formales vnius & distincti ab aliis, sed tan-
tū prædicata entis, substantialis, corporei, viuen-
tis, sensibilibus, rationalis. Etenim quemuis vniuersa-
lem conceptum ad varias species vniuersalis ex nu-
meratis à nobis q. 11. citatā spectare posse pro
varietate subiectorum, ad quæ comparatur, indubi-
tabile est, vt ex ibidem etiam dictis licet colligere, &
ex dicendis in sequentibus amplius contabit. Ex
quibus patet, quid veritatis, aut falsitatis habeat
quod ad præsens attinet punctum sententia Rubij.

232 Vnum ex dictis colligo, vt hæc prædicatio *Pe-*
trus est homo ad prædicabile speciei pertineat, si ex
parte subiecti, vt fieri solet, ponatur tota Petri rea-
litas cum omnibus suis formalitatibus, ex parte
quoque prædicati omnes ex se communes poni de-
bere, & quantum numero est formalitas, seu ratio in-
diuidui, ita vt subiecto talitas dumtaxat addatur,
seu differentia indiuidualis, vt talis, quæ vulgò Pe-
treitas dici solet. Alioquin si vel vnica formalitas ex
communibus inclusa in subiecto non includatur in
prædicato non erit prædicatio de tota essentia com-
muni subiecti, atque adeo neque speciei, sed de parte
essentie communis, & consequenter vel generis,
vel differentie, vel prædicabilis anonymi, vel alicui-
us mixti. Vnde quando in conceptu hominis ratio
communis indiuidui, aliaque, quæ passiones entis
dicuntur, formaliter non includuntur, vt sæpe fit,
animusque est hominem prædicare de Petro, tanquā
speciem de indiuiduo, neque in conceptu Petri in-
cluduntur, quod sepe etiam vsu venit. Tunc enim
pro eadem accipimus istas duas propositiones. *Pe-*
trus est homo. Hic homo est homo; constat autem sub-
iectum secundæ dumtaxat addere talitatem, seu dif-
ferentiam indiuidualem vt talem, quam ecceteram
dicunt supra conceptum prædicati. Tantūdemque
propterea contingit subiecto primæ.

233 Aduerto tandem quæcumque in præsentī quæ-
stione diximus perinde in indiuiduis incompletis,
atque in indiuiduis completis suā proportionē ser-
uatā locum habere: quia de vtriusque quod ad rem
attinet, eadem philosophia est, in quo non est opus
morari. Et hæc de indiuiduis modō sunt satis. Per-
gamus iam ad reliqua. De naturā namque indiuidui
vagi, de quā multi hic agunt, à nobis hic agendum
non est. Tum quia hoc quod est, concipi vagē, seu
distinctiue non est indiuiduorum propriū, sed
commune etiam vniuersalibus, vt iam notauimus
supra q. 11. Tum quia de conceptibus vagis, seu dis-
tinctiuis in vniuersum satis superque à nobis est
dictum *dispr.* 1. c. Vnde quæcumque de indiuiduo va-
go hic dici possunt facili quæque colliger.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit genus, quod simplex, & quale?

Postquā de obiecto vniuersali, & particulari gene-
ratim acceperis in præcedentibus quæstionibus
Pharus Scientiarum, Tom. II.

actum est, de eisdem speciatim sumptis ab hac quæ-
stione incipimus agere. Porro obiectum vniuersale
provt prædicabile q. 7. diuisum. Primum quidem
in prædicabile essentiale, & prædicabile accidenta-
le. Deinde essentiale in prædicabile generis, prædica-
bile speciei prædicabile differentie, prædicabile ano-
nymum, & prædicabile mixtum. Accidentale verò
in prædicabile accidentis inseparabilis, quod passio
dicitur, eaquē in cōmune, & propriā rursus diuiditur,
& prædicabile accidentis separabilis, quod accidens
venit dicendū, strictiūs vsurpato hoc vocabulo, simi-
literque rursus diuiditur in commune, & propriū. De
hisce igitur septem obiectis prædicabilibus vniuersa-
libus suo ordine, quo morem logicis geramus, per
tōtidē quæstiones speciatim nobis agendū est. De ob-
iectis namque particularibus, & singularibus nihil re-
stat specialius dicendū præter iam dicta in præcedē-
tibus, & quæ in sequētib. rāgemus. Incipimus autē
in hac quæstione à genere, siue à prædicabili generis,
de quo quærimus; quid sit & quod simplex, & quale?

Et circa primam quidem quæstionis partē, omisiss
variis acceptionibus huius nominis *genus*, quæ
apud Calepinum videri possunt. Genus, quod ad rē
attinet, sic definitur à Porphyrio in suā *Isag.* c. 1. *Genus*
est, quod de plurib. differentibus specie in eo quod quid
est prædicatur. Siue, vt exponunt Conimb. ibi, & alij
Genus est, quod de plurib. specie differentibus in qua-
stione, quid est, prædicatur. quasi dicant *essentialiter*
prædicatur. Per quæstionem enim, *quid est*, subiecti
essentia aut totalis, aut partialis inquiritur.

Multi impræsentiarum vexantur in defendendis
hæc, & aliis definitionibus prædicabilium traditis à
Porphyrio, in illisque componendis, & explicandis,
vt sint exactæ, addentes etiam nonnumquam eis
particulas aliquas, quas in suo Autore non habent,
quasi hoc sit defendere Autorem, & non potius eum
tacitè reprobare, quod tales particulas omiserit. Sed
certè non est cur in accommodandis definitionibus
Porphyrii èrpus teramus, in eisquē cum suo Auctore
defendēdis tantopere solliciti simus. Qui enim in di-
uidendis, recensendisque prædicabilibus adæquatè, &
provt scientia postulat manifestè deceptus est, vt
supra q. 7. demonstrauimus; cur in eisdem exactè, &
provt scientia postulat definiendis non poruit deci-
pi? Imò de facto fuit deceptus haud dubiè: siquidē
definitiones, quas tradidit neque discernunt ab aliis
sua definita, neque illa sufficienter declarant.

In primis enim genus non solum prædicatur in
eo quod quid, seu essentialiter de pluribus differen-
tibus specie, sed etiam de pluribus differentibus
numero. Imò genera superiora etiam prædicantur
de pluribus differentibus genere. Vnde species non
differt à genere per prædicari in eo quod quid de
pluribus differentibus numero, per quod dumtaxat
definit eam Porphyrius c. 2. Nec satis est dicere spe-
ciem prædicari de solis differentibus numero; cum
tamen genus insuper prædicetur de differentibus
specie, aut etiam genere. Primò, quia id Porphyrius
debuisset exprimere. Secundò, quia esso prædicabile
generis, & prædicabile speciei per id inter se distin-
guantur; at ab aliis prædicabilibus non distinguan-
tur. nam prædicabile mixtum tum de pluribus dif-
ferentibus specie, tum de pluribus differentibus nu-
mero prædicatur, in eoque proinde conuenit cum
genere. Anonymū autem, & differentia, quā vniuersa-
lia de solis differentibus numero prædicantur, in
quo cōueniūt cū specie, quæ omnia ex dicēdis pate-
bunt. Deinde per prædicari in eo quod quid seu esse-
ntialiter genus, & species nō distinguūtur à differentia.
Falsū enim est hæc prædicari in quale quid, vt docet
F 2 Porphyrius

Porphyrus *cap. 3.* sunt namque isti termini repugnantes, siquidem predicari in quale proprium est predicarum accidentalium additum aliquid subiecto, atque adeo illud quodammodo qualificatum; predicari autem in quid proprium essentialium nihil subiecto addentium; sed illud constitutum intrinsicè, qualiter constituit differentia. Quæ subinde absolute dicenda est in eo quod quid, seu essentialiter predicari. Quod omnibus predicabilibus essentialibus commune est. Id, quod directe tradidit nobis Arist. *l. 1. Post. text. 21.* docens utraque partem definitionis, nempe genus, & differentiam predicari in quid; & clarius *l. 7. Topic. c. 2. loco 31.* dicens. *In eo quod quid est genus, & differentia predicantur.* Nec refert differentiam adungi generi, ut in quale dicatur predicari: quia non adiungitur illi ut subiecto, sed ut comparti, cum quâ constituit speciem. Alioquin predicari in quale quid aliis etiam predicabilibus, quæ sunt subiectorum partes, conuenit, atque ita definitio differentia, quo sensu traditur à Porphyrio, aliunde etiam vitiosa erit, quia conuenit aliis à definito, nimirum predicabili mixto, & anonymo, aut etiam predicabili generis, quæ omnia ut partes predicantur suorum subiectorum, aliisque proinde eorumdem partibus adiunguntur. Accedit, quod in definiendo genus per speciem *cap. 1.* & rursum *cap. 2.* speciem ut subicibilem circulum vitiosum fecit Porphyrius, ut Arriaga notat in *log. disp. 7. sect. 2.*

238 Igitur genus per predicabilitatem sic venit exactè definiendum. Genus est predicabile de multis, ut pars essentia eorum communis per aliam partem contrahibilis non contractiva. Per particulam predicabile conuenit genus cum aliis omnibus predicabilibus, seu predicatis. Per particulam de multis differt ab individuo predicabili tantum de uno conuenitque cum ceteris predicabilibus vniuersalibus. Per particulam ut pars essentia eorum differt à predicabilibus accidentalibus, quæ essentia iam constituta accrescunt; & conuenit cum ceteris essentialibus etiam cum specie, quæ pars quoque est essentia singularis vniuersalisque individui, de quo predicatur simul cum diffentiâ individuali constituens ipsum. Per particulam communis differt genus ab specie, quæ non est pars, sed tota essentia individui communis, & conuenit cum aliis tribus, quæ ut partes etiam predicantur essentialibus communis. Per particulam per aliam partem contrahibilis differt genus à predicabili differentia, & à predicabili anonymo quæ ut partes non contrahibiles predicantur, sed primum ut pars contractiva: secundum ut pars alius quoad vniuersalitatem equalis, atque adeo nec contractiva, nec contrahibilis. Adiuncta autem particula non contractiva differt deum genus à predicabili mixto, quæ ut pars contrahibilis simul, & contractiva predicatur.

239 Hic solent pro tyronibus obici quædam sophismata, quibus probari videtur genus non posse defini. Videlicet quia definitio debet constare genere, & differentia, & generis non datur genus, nam abiretur in infinitum. Tum quia sola species est definibilis utpote, quæ sola constat genere, & differentia, genus autem non est species. His tamen facile occurret, qui animaduertit diuersis modis sumi posse genus, & speciem, ut *suprà q. 8. fine* de genere, & vniuersali dicebam in simili. Generis quippe in communi formaliter sumpti non datur aliud genus formaliter sumptum, quia ipsum ut sic complectitur omnia genera formaliter sumpta: datur tamen aliud genus sumptum materialiter, cum sit

ipsum species quædam materialis, siue essentia denominabilis species, quæ eo ipso duobus constat predicatis intrinsicis, per quæ est definibilis, quorum alterum genus est materiale, siue denominabile genus: alterum differentia materialis, siue denominabile differentia. Per quæ satis patet, quo pacto diluenda sint sophismata indicata, & similia.

Ceterum supposita iam exacta definitione generis, quoniam genus concretum quoddam est coalescens ex natura, quæ denominatur genus, tanquam ex materia, & ex secundâ intentione generis (ut vocant Logici) tanquam ex forma. Dubitatur hic primò quidnam per definitionem generis definiatur: Natura ne, an secunda intentio, an concretum ex utroque? Caiet. in *opusc. de ente, & essentia. cap. 4.* censuit defini secundam intentionem. Nec defuit, qui diceret solam defini naturam, quam sententiam aliqui tribuunt Scoto sed S. Th. *opusc. de ente, & essentia. cap. 4.* Sor. in *cap. de genere q. vnic. Toler. quest. 1. Rub. quest. 2.* cum Iauel. Venet. & aliis, Petr. *disp. 4. sec. 1.* Arriag. *disp. 7. sec. 1.* & communiter Recentiores merito docent defini concretum; quia genus nec est natura, nec secunda intentio seorsum, sed concretum ex utraque. Verum, quia tale concretum tum adiectiuè tum substantiuè sumi potest. Si sumatur adiectiuè sumpto subiecto in recto, & formâ in obliquo, pariter definitio est sumenda. Si autem sumatur substantiuè sumptis subiecto, & formâ, in recto, similiter sumenda est definitio. In quo non est, cur amplius moremur. Videantur dicenda infra *disp. 25. de definitione in vniuersum.*

Secundò dubitatur. An definitio generis data per predicabilitatem de pluribus sit essentialis, an descripta? Esse essentialem docuit Scot. *quest. 14. & 15. vniuers. & Caiet. in cap. de gen. quest. 1.* Esse verò descriptiuam docet S. Thom. *opusc. 84. tract. 1. cap. 2. & 3.* Sor. in *cap. de genere q. vnic. Toler. quest. 2.* Conimb. *quest. 1. art. 2.* Rub. q. 3. cum plura Amon. Albert. Villalp. Merca, & aliis. Ego assero si ex parte definiti capiatur genus pro primo vniuersali logico ut tali, sicuti communiter capi solet, prædicta, definitio descriptiuæ erit, utpote data per proprietatem definiti: quippè esse predicabile de pluribus proprietas est vniuersalis logici, prout diximus *q. 6. sect. 7.* Quocirca definitio essentialis generis ita sumpti hæc erit iuxta dicta ibi. Genus est, quod potest esse in multis ut pars essentia eorum communis per aliam partem contrahibilis, non contractiva. Si verò ex parte definiti capiatur genus pro primo predicabili ut tali, sicuti capi potest, prædicta definitio essentialis erit. Quippe esse predicabile de pluribus essentia ipsa est predicabilis de pluribus, quatenus talis, ut est notissimum. Vide quæ *infra disp. 15. cit.* dicimus vniuersè de definitione essentiali, & descriptiuâ.

Tertiò dubitatur; an genus de speciebus ut totum, an ut pars prædicetur? Sor. in *cap. de gen. quest. vnic. Rub. quest. 3. & Soar. disp. 15. Metaph. sec. 11. n. 16.* dicunt genus ut totum potentiale de suis speciebus prædicari. Caiet. verò *cap. de gen. Venet. cap. de spec. Petr. Hurt. disp. 4. log. sec. 1.* Arriag. *disp. 7. sect. 1.* & communiter Recentiores ut partem prædicari censent.

Pro resolutione suppono ut certum apud omnes genus bifariam comparari ad suas species. Primò ut partem vniuersaliusque earum, quatenus natura generica simul cum naturâ differentiali naturam vniuersaliusque speciei componit; ut animal, & rationale componit hominem; animal, &

hinni

hinnibile equum, &c. Secundo ut totum quoddam vniuersale seu logicum (quod potentiale appellant) quatenus suâ vniuersalitate quodammodo complectitur omnes suas species, seu potius eas illarum formalitates, ex quibus adunatis fit genus. Dicitur autem genus, sicut & quoduis aliud vniuersale, totum potentiale, non verò totum actuale respectu suorum inferiorum non quidem, ut explicant Soar. & Rub. quia differentias eorum confusè in suo conceptu contineat (hoc enim falsum est, siquidem à talibus differentiis prius præcisum est, & abstractum) sed quia ex formalitatibus eorum, ex quibus coalescit, non per compositionem, & quasi vniionem, sed per adunationem, & identitatem coalescit. Tales enim formalitates non compingunt vniuersale per sui actuale compositionem, ut sic enim intra ipsum aliquomodo retinent suam pluralitatem, uti retinent qualibet aliæ partes actu componentes suum totum; sed per quamdam identitatem, ac veluti conuersionem suæ pluralitatis in vnitatem. Fieri quippe vniuersale ex talibus formalitatibus aliud non est, quam eas per intellectum fieri vnum; cum re ipsa sint plura. Quo inprimis fit, ut nec dictæ formalitates sint partes actuales vniuersalis, nec vniuersale respectu earum sit totum actuale. Deinde, ut vniuersale respectu ipsarum formalitatum totum potentiale, & illæ respectu vniuersalis partes potentiales idcirco dicantur, quia vniuersale in eas est multiplicabile, perinde ac si partes sui essent, non quidem per propriam sui diuisionem (qualiter tota actualia in suas partes multiplicantur) sed per quamdam conuersionem suæ vnitatis in earum pluralitatem, quæ euenit, cum vniuersale contrahitur ad sua inferiora. Etenim hoc ipso, quod aliquod vnum est in plura multiplicabile si non actu, & formaliter, potentia tamen & virtualiter censetur ex illis compositum, ob idque iure respectu illorum totum potentiale appellatur. Et hæc est haud dubie ipsissima ratio cur præci Philosophi vniuersale totum potentiale vocant respectu particularium, ex quibus coalescit. In quâ profecto vestigandâ, & reddendâ non parum sunt implicati Recentiores, ut quisquam eorum scripta legens animaduertet.

244 Ex quibus collige primò genus non tam respectu specierum quam respectu formalitatum earum, per quarum adunationem fit, totum potentiale dicendum esse, e. g. Animal non tam respectu hominis, leonis, equi &c. quam respectu animalis hominis, & animalis leonis, & animalis equi &c. dicendum est totum potentiale; quia genus animalis has tantum partes suarum specierum ab earum differentiis præcisas adunat, non integras ipsas species, ut ex dictis in superioribus, præsertim q. 8. conspicuum est. Idemque est de cæteris vniuersalibus, quæ non tam respectu suorum inferiorum adæquare, propterea ipsa iacent, sumptorum, quam respectu formalitatum, siue rationum eorum, quæ adunant, tota potentialia dicenda sunt.

245 Secundo collige conceptum collectivum ex pluribus collectivè in mètre nostrâ adunatis resultantem, iuxta doctrinam datam *supr. disp. 2. q. 3. conf. 3. & in hac disp. q. 8. conf. 7.* in eo à conceptu vniuersali differre, quod non totum potentiale sicut ille, sed totum actuale dici debet. Tum quia sæpe ea omnia, quæ in tali conceptu adunantur, etiam in mente nostrâ obiectivè retinent suam pluralitatem in pluralitate partium phantasmatis extensi, in quo cognoscuntur. Atque ita per quamdam solum compositionem euadunt vnum. Tum quia licet nò

Pharus Scientiarum, Tom. 11.

omnia retineant, aut etiam omnia confundantur, vel quia extensio phantasmatis ea omnia distinctè non capit, vel aliâ de causâ, censentur tamen retinere, quia adunatio collectiua ex propriâ naturâ adunatio compositionis siue vniionis obiectiua est; Cum tamè adunatio vniuersalitatis adunatio cuiusdâ identitatis obiectiua, atque suppositiua sit, ut ex dictis tum *hic*, tum *loc. cit.* satis superque notum est.

His positis dico ad dubitationem. Genus non ut 246 totum potentiale, sed ut partem actualem dicendum esse prædicari, quia genus in actuali prædicatione non retinet vniuersalitatem, quâ antea habebat, ut constat ex dictis *suprà q. 6. conf. 1.* Si quis tamen voluerit dicere prædicationem generis prædicationem totius potèntialis propter totalitatem potentialem, quam prædicatum ante actualem prædicationem habebat, ut propter vniuersalitatem, & genericitatem, quam pariter habebat antea, dicitur prædicatio vniuersalis, & prædicatio generis; non multum tenuam (quæ loquutio cæteris etiam prædicabilibus conueniet) dummodo non negetur genus & partem actualem, talemque partem prædicari de suis inferioribus, in quo stat eius constitutum, ac distinctiū ab aliis prædicabilibus, propterea ex datâ definitione constat.

Dices pars nequit prædicari de toto verè, aut ab- 247 solutè, si sit distincta à toto realiter, aut saltem in sensu formali, si sit distincta solâ ratione. Ergo genus non potest prædicari ut pars de suis inferioribus. Distinguo antecedens. Pars nequit prædicari de toto verè &c. sumpta in abstracto, aut in concreto substantiuo concedo. Sumpta in concreto adiectiuo nego, & nego consequentiam. De quo vide iam dicta *suprà q. 7. diuis. 3. &c.* quæ iterum paulo *infra præsentem in q. dicemus.*

Quartò dubitatur. An in omnibus entibus, atque etiâ 248 non entibus conceptus generici inueniri queant, qui denominationis generis apta materia sint, & qualiter? Coniung. in *cap. de genere q. 2.* sentiunt primò tales conceptus in negationibus reperiri nò posse dicuntque sententiâ hanc esse Arist. S. Th. & omnium grauium Authorum. Arist. quidem *l. 4. Top. text. 67. & lib. 1. de partibus animal. c. 3.* S. Th. autè in *2. dist. 28. q. 1. art. 1. & 12. q. 7. 2. art. 6.* Addunt tamen reperiri præterquam in entibus realibus, in entibus rationis propriis, secus in figmentis impossibilibus. Nonnulli apud Ariag. *suprà subs. 2.* supponentes dictos conceptus in entibus rationis dari putant genus in communi non esse vniuocum sed analogum respectu generum entium realium, & entium rationis. Ipse verò Ariag. idem supponens vniuocum esse asseuerat, sicut & Hurt. *suprà sec. 2.*

Dico primò intra quoduis genus conceptibilem 249 à nobis dari posse rationes genericas específicas, differentiales &c. quia intra quoduis genus possumus concipere essentias integras cōmunes per differentias numericas contrahibiles, quæ erūt species; ratiōes partiales essentia communis alias cōtrahibiles tantum, & alias contractiuas, quæ erūt genera, & differentie. Pariterque censendū est de cæteris prædicabilibus. Ex quo infero, quo pacto negationes ad instar entium à nobis cōceptibiles sūt in phantasmatis substitutis, eodè posse illas rationes genericas, differentiales, específicas, & alias habere, atque ita denominationes generis, speciei, differentie, aliorumque prædicabilium subire. Tamen si secundum se, cum nihil prius sint, neque vllâ essentiam in se conceptibilem habeant, nec genera, nec species, nec quidpiâ aliud esse possint. Quod solum volunt Arist. & S. Th. Recole, quæ diximus *suprà q. 7. diuis. 8.* Tunc demum

consendum est de iis chymis, quæ tantum per species alienas, atque adeo in substitutis alienis sunt conceptibiles, cum tamen nullam essentiam in se immediatè, atque adeo per proprias species conceptibilem habeant, iuxta doctrinam datam *suprà disp. 11.* & sæpe alibi tactam in superioribus. Cætera verò impossibilia in se immediatè conceptibilia ab inuentibus, & quælibet huiusmodi generis entia rationis sine limitatione datà dicenda sunt rationes genericas, specificas, differentiales, aliorumque prædicabilium habere posse, non minus, quam quævis entia realia, de quibus non est dubium.

250 Dico secundò. Genus in communi vniuocè conuenit omnibus omnino generibus, quantumuis ea diuersam materiam, siue realem siue rationis, siue veram, siue fictam habeant. Nam quoties forma, quam dicunt explicite concreta, in omnibus est prorsus similis, atque adeo conueniens vniuocè sub vnâ ratione communi; concreta ipsa pariter talia euadunt, quidquid sit de diuersitate materiæ, siue subiecti, quod concreta includunt implicite, vt *suprà q. 8.* statuimus, & iterum *infra q. 18.* dicemus. Sed forma generis, quod quoddam concretum est, vt constat ex dictis, in omnibus omnino generibus, quantumuis quoad materiam diuersis est prorsus similis, vt est notissimum; ergo & omnia omnino genera vt talia, quantumuis quoad materiam diuersa, prorsus quoque similia sunt, atque adeo vniuocè conuenientia in conceptu communi generis.

251 Iam verò circa secundam partem questionis primò venit diuidendum genus in physicum, & metaphysicum. Secundò in prædicabile formaliter, & prædicabile identicè, seu materialiter de suis inferioribus. Tertiò in prædicabile directè, & prædicabile indirectè de illis. Quartò in substantiale, & accidentale, id est, habens pro materiâ substantiam aut accidentem prædicamentale. Quintò in complexum, & còplexum. Sextò in positium, & negatiuum. Quæ diuisiones sufficienter sunt iam expostæ, atque explicatæ à nobis vniuersaliter *suprà q. 7.* sunt enim còmunes generi, & aliis prædicabilibus. Recognoscatur ibi dicta, & generi speciatim accommodentur.

Deinde diuiditur genus in supremum, infimum, 252 & inmedium. Quæ diuisio duo supponit. Primum, idque certissimum, est dari ordines quosdam seu series generum, in quibus alia sint superiora, & alia inferiora. Dicuntur autem superiora, quæ magis sunt vniuersalia, quia extenduntur ad plura, in inferioribusque includuntur contrahenda per differentias eorum. Inferiora autem vocantur, quæ minus sunt vniuersalia, quia ad pauciora extenduntur, & in se superiora continent, illaque per proprias contrahunt differentias, e.g. hæc series generum est *substantia, corpus, viuens, animal, brutum*. In quâ *substantia* genus est superius, quàm *corpus*, quia vniuersalius illo, in illòque inclusum, & contractum. Substantia quippe ad omnes substantias etiam spirituales extenditur. *Corpus* verò dūtaxat ad substantias corporeas. similiter *corpus* genus superius est, quàm *viuens*, & *viuens*, quàm *animal*; & *animal*, quàm *brutum*, ob eandem rationem. Et consequenter propter eandem vice versâ *brutum* genus inferius est, quàm *animal*, & *animal* inferius, quàm *viuens*, & *viuens*, quàm *corpus*, & *corpus* quàm *substantia*. Secundum, quod supponit diuisio non adeo certum est, nempe vnamquamque generum seriem vndequeque finitam esse, duobusque extremis generibus terminatam, supero, & infero. Ex quibus illud supremum, hoc infimum, & quæ interiacent, intermedia dicuntur. Sed an hæc suppositio vniuersaliter sit

vera, & quâ ratione suo loco determinabimus;

Vnum aduerto circa seriem generum proposi- 253 tam, id, quod est genus prædicabile respectu inferiorum, speciem esse subiectibilem respectu superiorum, atque etiam prædicabilem respectu propriorum indiuiduorum, quæ in eâ serie non ponuntur, vnde omnis series generum etiam est series specierum, iuxta aliam considerationem, quatum infima species erit, quæ sub genere infimo collocatur, vt in proposita serie *leo*, vel *equus*, vel quævis alia species contenta sub genere *brutum*. Sub quâ immediatè veniunt collocanda indiuidua, vt *hic*, vel *ille*, vel *alter leo*. Genus autem supremum feriei, etsi non sit species subiectibilis respectu superioris generis, quod non datur; est tamen species prædicabilis respectu indiuiduorum propriorum. Quæ omnia ex dicendis in sequentibus amplius constabunt.

Denique circa tertiam questionis partem hæc, 254 quæ sequuntur, restant notanda. Primum. Genus de indiuiduis specierum, seu inferiorum mediatur, & vt genus, de indiuiduis verò propriis immediatè, & vt species prædicabile est. e.g. *Brutum* mediatur, & vt genus prædicatur de hoc, & illo, & alio leone, immediatè verò, & vt species de hoc, & illo, & alio Bruto, *viuens* mediatur, & vt genus prædicatur de hoc, & illo, & alio animali, tum de hoc, & illo, & alio bruto, atque etiam de hoc, & illo, & alio leone. Immediatè autem, & vt species de hoc, & illo, & alio viuentem; & in cæteris pariter. Dicitur autem genus de indiuiduis inferiorum specierum prædicari mediatur, non quia necessariū sit, quod genus prius prædicetur de specie, vt possit de indiuiduis eius postmodum prædicari, sed quia in serie prædicabilium inter genus, & indiuidua specierum inferiorum, ipsæ species sunt intermedia. Vt genus autem prædicatur de huiusmodi indiuiduis, quia prædicatur de illis vt pars essentia eorum communis per aliam partem contrahibilis, & non contractiua, quæ est prædicatio propria generis, vt ex definitione generis tradita constat. De propriis autem indiuiduis genus vt species, & immediatè prædicatur, quia prædicatur vt tota essentia communis eorum, quæ est propria prædicatio speciei, & consequenter absque interuentu alius prædicari.

255 Posse autem conceptum genericum, sicut & quælibet liberalium vniuersalem per differentias indiuiduales sibi proprias, & immediatas contrahi ad constitutendum cum talibus differentiis præcisè indiuidua sibi immediata, de quibus prædicatur, vt species, indubitabile est. Differentia quippe indiuidualis in distinctione ab aliis consistens conceptus quidam est transcendens, atque adeo immediatè committans omnes omnino formalitates cuiusvis entis indiuidui. In Petro enim e.g. non solum reperitur hic homo, sed etiam hoc rationale, hoc animal, hoc viuens, hæc substantia &c. diuisa videlicet per nostrum rationem non solum eius humanitatem in tot formalitates partiales, sed etiam eius talitatem in tot talitates partiales. Vt ergo immemores prorsus cæterarum formalitatum cum suis talitatibus huius hominis, huius leonis, huius equi, &c. & concipientes præcisè hoc animal singulari huius hominis, & hoc animal huius leonis, & hoc animal huius equi, &c. exactè similia, & aqualia, ex eis vt sic immediatè possumus adunare conceptum animalis ipsis còmunem, idque vel cum præcisione à propriis eorumdè talitatibus, vel sine illa iuxta doctrinam sæpe datam in superioribus, præsertim q. 8. ita pariter vice versâ conceptum animalis aliis vniuersalè immediatè contrahere possumus ad hoc animal huius hominis, & ad hoc animal

animal huius leonis, & ad hoc huius equi, &c. de
cuique ut sic predicare illa, ponendo supra prædica-
tum ex parte subiecti solas talitates partiales talium
animalium singulatum conceptas. Quæ prædicatio
subinde erit prædicatio speciei, utpote prædica-
tio totius essentia communis subiecti. Tantum-
demque est de aliis quibuscumque formalitatibus uni-
uersalibus, quia omnes, ut dixi, de propriis, &
immediatis indiuiduis immediatè, & ut species
prædicabiles sunt.

256 Hinc sequitur primò: Naturam genericam ad in-
diuidua incompleta sibi propria, & immediata con-
trahi, vel per coniunctionem sui cum talitatibus
partialibus talium indiuiduorum, quando ab illis
fuerat præcisa, vel per distinctas conceptiones hu-
iusmodi singulorum indiuiduorum ut talium, quan-
do illa citra præcisionem talitatum quoad integrum
vnicuique conceptum adunata fuerant, iuxta do-
ctrinam nuper commemoratam. Ad indiuidua ve-
rò completa suarum specierum contrahitur tum
vno ex dictis modis, quod attinet ad indiuidua
propria incompleta in illis tanquam eorum partes
inclusa, tum insuper per coniunctionem sui cum
cæteris formalitatibus in se non inclusis indiuiduo-
rum completorum. Secundo sequitur etiam quan-
do natura generica contrahitur ad proprias species
cum suâ vniuersalitate sumptis, aut posse ad illas
contrahi per coniunctionem cum differentiis spe-
cificis singularum, à quibus ea fuerat præcisa, ut
regulariter contingit, aut abque vllâ memoriâ hu-
iusmodi differentiarum per talitates singularum spe-
cierum speciatim conceptas, consistentesque in di-
stinctione transcendenti, quâ natura generica repe-
ta in vnâ specie à repetitis in reliquis est distincta.
Itaque conceptus genericus bruti non solum est
contrahibilis ad leonem per rugibilitatem, quæ est
eius differentia specifica, sed etiam per talitatem à
rugibilitate præcisam, quâ brutum leonis re ipsâ à
bruto equi, & ab aliis aliarum bruti specierum di-
stinctum est. Per istam autem talitatem bifariam
potest fieri contractio, quemadmodum de talita-
te indiuiduorum incompletorum est dictum: nimi-
rum, aut coniungendo illi naturam genericam,
quando ab eâ quoque, & non solum à differentiâ
specificâ fuerat præcisa, aut illam distincte, & spe-
ciatim multiplicatam concipiendo in singulis
speciebus.

257 Secundum notandum: Vniuersale à pluribus
speciebus abstractum tum genus, tum prædica-
bile mixtum potest esse respectu diuersarum. Ita
enim animal abstractum ab homine, leone, equo,
&c. respectu leonis, & equi est genus, quia pars
eorum contrahibilis, & non contractiua; respectu
verò hominis, & si, quæ sunt alia species huius-
modi, prædicabile mixtum est, quia pars earum
contrahibilis simul, & contractiua, ut dicebamus
suprà q. 7. & iterum infrâ dicemus q. 17.

258 Tercium notandum contra Arriagam *disputatione*
septima Logica, sectione 1. subf. 3. Si natura, quæ mo-
do est generica, in vnica tantum reperiretur specie,
tunc respectu talis speciei non esset genus, quia non
esset prædicabilis de illâ ut pars essentia eius com-
munis per aliam contrahibilis. Neque esset spe-
cies, quia non esset prædicabilis de illâ; aut de in-
diuiduis eius ut tota essentia eorum communis. Es-
set ergo prædicabile anonymum: quia prædica-
bile ut pars nec contractibilis per aliam, nec contra-
ctiua aliis. Quod prædicabile quia Arriaga non
nouit, quasi coactus recurrat ad speciem dicens ad
illam spectaturam prædicationem casus nostri, quia

implicitè saltem esset prædicatio totius essentia,
eo ipso, quod esset prædicatio partis æqualis in
vniuersalitate alteri, & inferentis eam. Non ta-
men bene. Primò, quia pro distinguendis prædi-
cabilibus, dumtaxat attenduntur conceptus eorum
expliciti; alioquin prædicabile differentia omnino
relegandum esset, quandoquidem multò certius est
dum prædicatur species, implicitè prædicari diffe-
rentiam, quam prædicandam fore implicitè totam
essentiam in casu, quem versamus. Secundo, quia
sequeretur ex doctrinâ Arriagæ à medio tollendam
esse prædicabile proprii, omnemque humanum dif-
ferentiam ad vestigandas proprietates rerum, ut no-
ua ipsarum prædicata superuacaneum esse; siqui-
dem sola prædicatio speciei, aut differentia eius
implicita prædicatio esset omnium proprietatum,
respectu quarum species cum suâ differentia tum
æqualis, tum illatiua est.

QVÆSTIO XIV.

Quid sit species, quotuplex, & qualis?

Circa primam quæstionis partem, omisis aliis 259
accceptionibus nominis *species* apud Calepi-
num videndis, pro specie dumtaxat logicâ mo-
dò illud accipimus, quam Porphyrius in sua *Isa-*
goge, cap. 2. sequentibus definitionibus definiuit.
Species dicitur, quæ sub assignato genere est. Species
est, quæ subiicitur generi, & de quâ genus in eo quod
quid est prædicatur. Species est, quæ de pluribus dif-
ferentibus numero in eo quod quid est prædicatur. Per
quam vltimam species prædicabilis, per reliquas
species subiicibilis definitur. Quæ quidem sub no-
men *species* æquiuocè cadunt.

Cæterum quia in componendis, & explican- 260
dis definitionibus Porphyrij morari non expedit,
ut notauimus q. 13. speciem vniuersalem, seu præ-
dicabilem, de quâ potissimum hîc agitur, sic nos
censemus definiendam. *Species est prædicabilis de*
multis, ut tota essentia eorum communis. Per parti-
culas *prædicabilis de multis* conuenit species cum
cæteris prædicabilibus vniuersalibus. Per reliquas
differt ab eisdem; ab essentialibus quidem, quia
cætera præter speciem prædicantur ut pars essentia;
ab accidentalibus autem, quia illa ut quid essen-
tia superadditum, siue ut quid essentia superad-
dientia prædicantur. Quomodo autem hæc defi-
nitio respectu speciei ut vniuersalis sit descripti-
ua (& quam species ut sic essentialem habeat) re-
spectu verò eius ut prædicabilis sit essentialis, ex
dictis de genere q. 13. notum est. Quemadmodum,
quæ etiam ratione species totum quoddam Logi-
cum, seu potentiale dici possit, & quomodo in om-
nibus entibus, & non entibus conceptibilibus à
nobis reperiri queat.

Iam cum esse speciem subiicibilem generi, ni- 261
hil sit aliud, quàm posse eam esse subiectum ge-
neris; nescio profecto cur Porphyrius, & assecla
de solo subiecto generis sermonem in præsentem in-
troduxerint, nihil dicentis de subiectis cæterorum
prædicabilium. Etenim ut species est subiicibilis
generi, sic indiuidua speciei, & generi subiicibi-
lia sunt; & genus inferius superiori, & differentia
inferior generi: necnon quævis essentia omnibus
suis passionibus, proprietatibus, & accidentibus
subiicibilis est. Demum omnia prædicabilia om-
nibus sunt subiicibilia prædicatione indirectâ, de
quibus